



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. Continentia Ioseph.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

lissima & salutaris Regula est. Necessaria est uocationis officia diligenter & constanter facienda esse, & simul fide à Deo petendum & expectandum esse auxilium, & sperandos euentus salutare, etiam si non statim eos cernimus, & solis humanis consilijs & uiribus non posse foeliciter regi uocationem, nec salutaria agi, ut hic dicitur, Fuit Dominus cum eo, & omnia prospere egit. Et Christus inquit, sine me nihil potestis agere. Item, Commenda Domino uirtuas, & ipse faciet. Et similia dicta passim extant, Χωρίς Θεού ἡ ἡμετέρας εὐτυχῆ ἔροδῶ, Item, Θεὸς δὲ δόντος οὐδέπ' ἰσχύει φρόνος, Ἐμὴ δὲ δόντος οὐδέπ' ἰσχύει πόνος.

II.

CONTINENTIA

Ioseph.

Non solum ingens ceterarum uirtutum ornamentum est, Castitas uitans libidines à Deo prohibita, sed etiam prorsus in omnibus pijs necessaria est. Nam sine eo nemo placet Deo, nec possunt in mente impudica simul existere fiducia in Deo acquiescens uera Inuocatio, Dilectio Dei, & ceteræ uirtutes. Imo æternis & presentibus pœnis omnes contaminati spurcicie plectuntur. Quare singulari intentione & cura, casti pudoris decus ab omnibus pijs tenenda.

dum est. Etsi autem passim in Ethnicorum historijs multa leguntur illustria continentiae exempla. Vt Pelei abstinentis à Cretheide Acasti Regis Magnae uxore, à qua sollicitabatur, in s. oda Nemeorum Pindari: Scipionis cohibentis se à captiua Allucij sponsa, lib. 2. 6. Liuij: Pausania à Captiua Coa, in Calliope Herodoti: Hyppoliti fugientis consuetudinem nouerca à qua petebatur. Item Bellerophontis abstinentis ab Antia Proeti uxore, à qua sollicitatus erat &c. Tamen omnibus ceteris Iosephi exemplum, in Ecclesia longissimè antecellit. Ac perspicuum discrimen faciunt causae efficientes & finales, quarum commemoratione nos quoq; ad huius uirtutis decus amplectendum exuscitabimus.

In Ioseph Continentiae αἰτιον seu causa principalis est Spiritus sanctus, accendens in mente Ioseph cogitationem uerbi & mandati diuini, & causarum finalium, propter quas castitatis decus omnibus uitae periculis anteponendum est, & mens Ioseph cogitans mandatum diuinum. Item, Spiritus sanctus mouens & adiuuans uoluntatem, ut obtemperet uerbo Dei, & coerceat externa membra, & ipsa uoluntas suo etiam conatu repugnans illecebris, & obtemperans mandato Dei.

Συμμετρία sunt fides praelucens & petens auxilium Dei, & dona Dei seu φρονου ἀρετῶν quae sunt semina uirtutum.

Συμφορα sunt labores, quibus reprimuntur errantes

rantes cupiditates. Item, Temperantia & diligentia in uitandis occasionibus, ut dicitur, Vitare peccata est uitare occasiones peccandi, id eis, congruentias locorum, temporum, quæ delinquendi uiam præbent.

Si sæpe cum sola colluisset Ioseph, attrectasset sinum, ebrius fuisset, facile labi in adulterium potuisset.

Cause Finales Iosepho & cæteris pijs uitantibus adulteria, scortationes, & alias libidines à Deo prohibitas propositæ sunt.

1. Vt Deo præcipienti castitatem obtemperet, ut dicitur, Non mœchaberis. 1. Theff. 4. Hæc est uoluntas Dei castitas uestra.

2. Vt agnoscant Deum esse mentem castam, eamque à malis & immundis naturis discernat.

Castus Deus mens est, castus uult mente uocari. 3. Vt retineat gratiam, & uitæ æternæ possessionem, 1. Corinth. 6. Fornicatores & Adulteri non possidebunt regnum Dei. Ephes. 5. Omnis scortator & immundus non habebit hereditatem in regno Christi. Ebræ. 12. Sectamini sanctitatem sine qua nemo uidebit Deum.

4. Ne à Deo puniatur æternis & presentibus pœnis. Manet enim Regula æterna & immutabilis. Ebræ. 13. Fornicatores & Adulteros puniet Deus, uel in hac uita, uel in altera. Vt testantur Diluuium

conflagratio Sodomorum, ciues Sichem, Tribus Benjamin deleta, David, Troia euersa propter adulterium. Expulsi Reges Roma propter Lucretiam compressam.

5. Ne deformet doctrinam scandalis, & ne fama libidinum abalienet animos à doctrina.

6. Ne inuitet malos ad imitationem.

7. Ne amittat dona spiritualia, & plectatur cœcitate errante in opinionibus, sententijs, consilijs, negocijs &c. & omnes actiones spirituales extinguantur. Ose. 4. Fornicatio & ebrietas auferunt cor.

8. Ne suo peccato noceat alterius conscientie, ipsiusq; corpus & animam à Deo auulsam impellat in perpetuum exitium.

9. Ne publicas poenas attrahat toti Reipub. ut postea paucorum libido in Gabaa toti tribui Benjamin: Vnius Paridis adulterium toti Troiæ exitio fuit.

10. Ne à Magistratu politico poenis ciuilibus puniatur.

Has causas continentie Ioseph consideremus, & in nostris quoq; pectoribus exuscitemus, petamus accendi mentes, & iuuari uoluntates nostras à Spiritu sancto, annitmur ipsi quoq; ut mandato diuino obtemperemus, & honestis laboribus uiciosos impetus reprimamus, & singulari intentione & diligentia occasiones uitemus.

Scipio abstinet à captiua Allucij sponsa. 1. Quia
meus

mens cernit pulchritudinem uirtutis, & cogitat glori-
 am rerum à se gestarum non esse libidinis fama
 deformandam, & uoluntas huic iudicio mentis firmi-
 ter obtemperat. Deinde accedunt *συναιτίαι*. Bene
 inclinationes, siue Heroici impetus ad uirtutem,
 Et *συστάσεις*, labores militares, Temperantia, pe-
 ctus occupatum curis Reipub. &c. Sicut ipse in-
 quit, Si non Respub. animum nostrum occupasset
 &c.

III.

DE CALUMNIA.

Calumnia est rectè dicta aut facta cupiditate
 nocendi iniusta & malitiosa deprauare, de qua lo-
 gatur eruditissimus & uenustissimus Luciani Dialo-
 gus. *πῶς τὸ μὴ γὰρ ἰσὺς πῆσεν ἂν δ' ἰαβολῆ.*

Quartus locus supra principio 37. capi-
 tis copiosè explica-
 tus est.

CAPVT